

subter scabellum & sub ipsius Iouis vestigiis, iacentem ac vinculis innexum validus cernere robustum fuluumque & lentiginosum hominem: Quo conspecto sciscitari Ducem suum: Quis ille hominum, quidue illic victus ageret? Responsum est: Siciliae Italiaeque pestem fore, confestim ut ex ea custodia erupisset, defœvituram latè per populos. Eam visionem tunc inter pares notam fecit vulgavitque, interiecto tempore, dum Dionysius, qui ad eam diem obscuri nominis ac fortunæ fuerat, laxatus tandem cœlestis providentiæ compedibus, Tyrannidem inuasisset: mulier eadem illicò ut oculis suis oblatus est, illum esse quem sub Iouis pedibus vidisset, asseruit: Quæ asseratio, ut effectu verax, sic sibi properatæ mortis causa fuit.

PHALARIS.

AT Phalaridis mater, Mercuriũ (cuius simulachrum pateram manu tenens, inter Deorum effigies domi suæ colebat) in somniis vidit, ex ea patera sanguinem humi spargere, pavimentoque illisum rebullire, donec sensim domum omnem fastigiotenus inundaret: Quod in vna visum, in multis domibus verum fecit